



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XXV. De Advocato, ejùsque obligatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS XXV.

De Advocato, ejusque obligatione.

Baldus Advocatus causam Valerii defendendam suscipit, quam ab initio justam quidem censet, sed in progressu litis minus probabilem agnoscit, imò exiguam, vel nullam spem affulgere victoriæ; nihilominus pergit inceptæ causæ patrocinari, eamque in longum protrahit, ac tandem amittit.

QUÆR. I. An Advocatus suscipere possit causam defendendam minus probabilem?

QUÆR. II. An, & quando Advocatus, amissâ causâ, salarium restituere, & damna partibus resarcire teneatur?

QUÆR. III. An, & de quonam salario pacisci licitè possit Advocatus solvendo à suo Cliente?

152 **A**D I. Q. Satis certum est, licet Advocatus non possit sciens suscipere causam injustam defendendam, non tamen opus esse, ut certus sit de justitia causæ, quam suscipit, cum possit suscipere causam defendendam merè probabilem, saltem, si sit æquè, vel probabilior oppositâ, aliàs vix unquam liceret Advocato suscipere patrocinium alicujus causæ; cum lites ferè omnes ortum habeant à jure, vel facto dubio. Dubium autem, & controversia est inter DD. an Advocatus suscipere possit causam defendendam minus probabilem. Ubi.

Negativam sententiam tenent 153 Sotus l. 5. de just. q. 8. a. 3. Valent. 2. 2. P. 5. q. 15. p. 14. Ariag. D. 24. S. 5. cum, & apud Burghab. cent. 3. Cas. 65. Rationem dant; quia Advocatus tenetur potius favere illi, cui jura potiora favent, seu qui potius jus habet; sed jura potiora favent habenti causam probabiliorem: ergo.

2. Princeps non potest illi inferre bellum, cujus causa probabilior judicatur: ergo neque Advocatus intentare, ac movere potest litem illi, pro quo stat major probabilitas. 3. Quia ubi jura partium dubia sunt, & obscura, favendum est reo juxta C. inter 6. in fin.

fn. de fid. instrum. ergo Advocatus contra jus rei agit patrocinando parti adversæ potius jus habenti.

4. Quia contraria sententia minime consulit bono communi, cum sic multum inde nutriantur lites.

His tamen non obstantibus dicendum est cum Nav. C. 25. n. 28. Sà V. *Advocatus*. Less. de J. & J. l. 2. c. 31. dub. 9. n. 53. Valq. D. 64. n. 1. Sanch. l. 1. in Decal. c. 9. n. 51. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. Gutier l. 1. qq. Canon. c. 13. n. 24. Haunold tom. 5. tr. 2. n. 543. Bonacin. P. Schmalzgr. hinc n. 16. Pichler, aliisque, posse Advocatum causam suscipere defendendam etiam minus probabilem, modo clientem suum de minori causæ probabilitate moneat. Ratio est quia minus probabilia re ipsa sæpè sunt vera, & magis probabilia falsa: ergo ex eo quod una pars causam habeat minus probabilem, non est, cur suscipi, & defendi nequeat, propositis, & deductis causæ momentis, ut veritas elucescat; Advocatus enim non petit à Judice sententiam in favorem actoris contra reum, casu, quo Judex illam ferre non potest, sed repræsentat jus actoris, ut ipse examinet, & videat, pro qua parte sit ferenda sententia, quodque sibi probabilius apparet, Judici fortè minus probabile apparebit, aut vicissim.

2. Quia ipse Cliens potest suam

causam minus probabilem defendere in judicio per se ipsum: ergo etiam per Advocatum, cujus duntaxat officium est partis, quam defendit, causam elucidare, & momenta, aliæque quæ pro ea faciunt, allegare, ac proponere, siquidem potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum, reg. J. 68. in 6. Unde

Ad argumenta in contrarium adducta R.

Ad 1. Dist. maj. cui favent jura potiora vera, C. M. apparentia tantum, & existimata, n. M. & sub eadem dist. m. & C. favendum quidem est habenti potius jus verum, sed cum in posito casu jus sit ambiguum, poterit Advocatus favere, cui voluerit.

Ad 2. n. parit. disparitas est, quia Princeps bellum inferens est simul Judex, & pars litigans; Judex autem tenetur sequi probabiliora; Advocatus verò non est simul Judex, sed solum assistit parti, cui integrum est per se, vel per alium sua jura defendere.

Ad 3. R. id locum habere duntaxat in Judice; non verò in Advocato, utpote qui solum proponit momenta causæ, ut Judex sciat, cui per sententiam favere debeat.

Ad 4. n. 2. Multum enim interest, causis, & litibus etiam probabilibus

X 3

bilibus

bilibus patrocinari, ut sic propositis utriusque causæ momentis, ac meritis melius Judex informari, & sententiam æquiorē ferre possit. Ex quo etiam confirmatur sententia contraria affirmativa.

154 Ad 2. Q. R. Si Advocatus in progressu litis injusticiam causæ agnoscens eam non statim deserat, sed prosequatur, tenetur Clienti suo, & parti adversæ compensare damna illata, utpote qui horum injusta causa existit in partes redundantium, & parti quidem contrariæ tenetur ad restitutionem ex peccato commissionis, cum fuerit illi causa positiva damni: Clienti verò tenetur ex peccato omissionis, quatenus ipsum, prout ex officio debebat, non admonuit de causæ injustitia. Idem dicendum, si causâ examinatâ exiguam, vel nullam prudentem spem victoriæ affulgere animadvertat, & Clientem suum de periculo prius non admoneat, quia sic causam suscipiendo, vel prosequendo Clientem suum manifesto discrimini subjicit, & causa existit tot expensarum frustra factarum, vel faciendarum; siquidem Advocatus post diligentem causæ totius considerationem, & haustam notitiam tenetur Sincerè aperire Clienti suo, quantam probabilitatem, vel spem victoriæ habeat; alioquin si falsa promissione, aut spe inani victoriæ clientem detineat, vel lucri capiendi gratiâ litem in longum protrahat, quæ

cito expediri poterat, & clientem suum sumptibus frustra faciendis involvat, aut per culpam suam, imperitiam, vel negligentiam causam in judicio perdat, tenetur damna, quorum causa existit, compensare, & non solum salarium non exigere, sed etiam illud, quod accepit, in conscientiæ foro restituere obligatur, ut notant Host. in *Summ. hic n. 5.* & S. Raymond. in *Summ. l. 2. tit. 5. §. 39.* ubi tenetur Advocatus, inquit, ad restitutionem omnium illis, quibus præstitit patrocinium, si propter suam infidelitatem, vel negligentiam, vel imperitiam amiserunt causam. Ratio dictorum omnium est, quia Advocatus in his casibus est causa injusta damnorum in partes redundantium, agitque contra proprium suum officium cum detrimento aliorum, si quidem unusquisque tenetur scire, & diligenter exequi artem & officium, quod suscepit, & proficitur, maxime cum agitur de damno, & præjudicio aliorum: hinc tenetur Advocatus merita causæ diligenter rimari, & ea, quæ ad defensionem illius sive de jure, sive de facto conducunt, diligenter conquirere, & nihil eorum omittere, quæ causæ defendendæ proficua esse possunt, *l. rem non novam 14. §. patron. 1. C. de Judic.* In defensione verò, & deductione causæ susceptæ tenetur brevitati studere, superfluas allegationes resecare, & vitare frustra-

straneas dilationes, & exceptiones, quibus Clientes per sepe prius suarum facultatum finem vident, quam litis terminum.

155 Ad 3. Q. an, & de quonam salario pacisci licite possit Advocatus solvendo à suo cliente? R. posse pacisci de salario sibi solvendo, sive causam evincat, sive litem perdat; quia potest salarium à suo Cliente exigere, etsi de eo solvendo nihil conventum sit, cum nemo teneatur suis stipendiis militare, *C. cum ex offic. 16. de prescript. si tamen aliunde à Magistratu pretium, seu salarium constitutum est, aut à lege, vel consuetudine taxatum, nequit majus, quam taxatum sit, exigere, quia tenetur quilibet legem servare, justè pretium taxantem; recipere tamen majus potest, si spontè, & liberaliter offeratur. Quòd si salarium à lege, vel consuetudine taxatum non sit, tantum potest duntaxat recipere, quantum judicio prudentis viri videbitur, habita ratione laboris, dignitatis, scientiæ, & difficultatis causæ, l. preses 7. §. in honorariis, 10. ff. de extraord. cognit. Ubi advertunt Clavis Reg. n. 10. Bonac. D. 10. q. 3. p. 4. Less. citr. Azor, & alii, Ad-*

vocatum non teneri in omnibus casibus eandem adhibere diligentiam, sed majorem, vel minorem pro negotii, & causæ qualitate, ideòque si causa difficilis sit, vel magni momenti, teneri majus studium adhibere, quam si facilis sit, vel exigui momenti. De quota tamen litis, sive de certa parte rei litigiosæ sibi solvendæ, si vicerit, neutiquam pacisci potest, uti neque de Palmario seu de extraordinario aliquo ultrà salarium Ordinarium in eventum victoriæ, seu si victor evaserit; nam id vetitum est à pluribus legibus, *l. 56. C. b. tir. l. 53. ff. de pact. l. 1. §. 10. extraord. cognit. &c.* Idque ideò quia tale pactum censetur maximè invitare, & alicere Advocatum ad delinquendū, ad adhibendos dolos, fraudes, & quævis alia media illicita pro obtinenda sententia favorabili, & causæ victoria. Licet tamen Advocato pacisci de certo pretio solvendo moderato, sive Cliens vincat in causa, sive vincatur, quia in tali casu cessat ratio, ob quam jura pactionem de quota litis prohibuerunt, scilicet periculum fraudis, doli &c. estque hujusmodi pactione, ac promissio permessa, *l. 1. ff. mandati.*



CA-